

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0147

0145

0151

0141

0156

0136

0196

0096

0246

0046

0646

Ende

Anfang

136

et ut viderem locum Toph et Tophet, de quibus fit mentio
Jerem. 7. et per totum caput Jer. XIX. Hic locus est vallis
filiorum Ennon, quae dicitur vallis Ennon, vel vallis Jehennon,
et Gehenna, Jos. 18 et 4. Esd. 1., et inde descendenter pro-
fundius in vallem, ut considerarem, an torrens Cedron in
profundioribus locis aquas fluentes haberet, ut multi opinati
sunt, sicut patebit, et post hoc in montem offensionis ascen-
derem, cujus radices usque in Gehennam extenduntur. De
hoc monte habetur 3 Reg. II. Haec etiam videre et experiri
desideravi. Itaque a loco, in quo stabam, me movi, ut irem
ad patrem Gardianum, ut peterem eum pro socio fratrem,
cum quo praedicta visitarem, sed non ausus fui venerabilem
virum illum excitare, qui adhuc in quiete sua erat. Assumi
ergo animum, et solus iter hoc grande aggressus sum, adhuc
enim mane erat, et Sarracenos scivi ante solis adscensum non
se levare de cubilibus suis. Descendi ergo de monte Syon
et perveni in hortum regis, qui pertinebat antiquitus ad regis
curiam, per quem rex Zedechias fugit cum omni exercitu,
ut habetur 4 Reg. 25 a facie Assyriorum. In ipso autem
horto reperi optimas ficus maturas, de quibus jejunus mandu-
cavi usque ad saturitatem. De horto demum regis descendere ad
natatoria Siloae, et voraginem originis fontis Siloae, et intravi
et bibi de aqua sancta, et oculos et faciem lavi. Numquam
vidi prius aquas illas in tanta abundantia fluere, sicut illa
hora, non enim jugiter fundit aquas nec semper aequaliter
fons ille, ut supra patuit fol. 160 B. Refrigerio sumto et
indulgentiis (++) plenariae remissionis juxta fontem sacrum
consequenter de latice fontis exivi et descendere usque in vallis
fundum, in torrentem Cedron, nec vidi hominem aliquem. Sol
autem jam ortus fuerat, qui cacumen montis Syon et civita-
tem sanctam et aliorum montium culmina illustrabat, sed
juxta me erant (B) adhuc quodammodo tenebrae, et roris
antelucani destillatio. Descendi ergo usque in vallem Gehenne
et cum festinantia progressus in asperrimo torrente, usque quo
recurvabatur vallis, ita, quod nec montem Syon nec montem
templi amplius videre poteram. Et his subtractis substeti, et
torrentem consideravi, tantamque ariditatem ejus ibi vidi,
sicut superius infra Jerusalem, nec quovis modo videre poteram,